

De necessitate confessionis. Cap. VIII. 14

dispensari, si tamen interim legitimam ætatem attigerint; quamuis quo ad reli giosos possunt prælati circa tales dispen sare, & hoc vigore suorum priuilegiorū, & præcipue Sixti IIII. & aliorum Ro manorum Pontificum: si tamen prius (ut dixi) legitimam ætatem attigerint. Ita Cate. Neap. in lib. 4. cap. 11. 12. Quo 16 vero ad matrimonium † requiritur et pubertas, cap. tuæ, de sponsa. Tertius est gradus quo ad administranda bona, & tūc annus discretionis requiritur in anno 25. ita D. Anto. de Butr. num. 3. & Abb. num. 9. in cap. omnisi, de pœnit. & remiss. Multa alia possent notari circa gradus ætatis, sed breuitati studendō re mittit me ad additiones Afficti in proœ. consuet. Neap. in ver. per quod. versi. Quid importent.]

17 Quinto præmitto, † quod cū nemo sit particeps sacramentorū, nisi sit Christo incorporatus, quæ quidem incorpo ratio fit per baptismum, iux. tex. in cap. veniens, ext. de presbyt. bapt. Hinc se quitur quod sacramentum pœnitentiæ non pertinet ad infideles. d. c. omnis, in princ. [nec iure diuino, nec humano: probatur, quia uel tenentur ea confiteri antequam baptizentur, vel post. Non pri mum, quia baptismus est ianua omnū sacramentorum, cap. ueniens, de presby. baptis. & pœnitentiæ est secunda tabula post naufragium, cap. secundo, de pœnit. dist. 1. & nulli sacerdoti data est potestas iurisdictionis super infideles, in foro pœnitentiali, igitur in eis antequam baptizentur, absolutio sacramentalis locū ha bere non potest. Sed nec potest dici secūdo, quod post baptismū teneantur con fiteri peccata, quæ tempore infidelitatis commiserunt: nam illa omnia in baptismo totaliter remittuntur, quo ad culpā, & pœnam, ac si commissa non essent, cap. tres sunt, de pœnit. d. 1. c. non ex quo, de confec. d. 4. Et ut ait Ambr. Ba ptismalis gratia non requirit gemitum, neque planctum, nec villam exteriorem satisfactionem, nec confessionem, cap. sine pœnitentiæ, de confec. d. 4. cap. ali-

quando, §. econtra, de pœnit. distin. 1. Si dicas, ad minus si infidelis ponit obicem tempore, quo baptizatur, peccata priora illi non remittuntur. Sed in eo permanēt post baptismum, & ita tenebitur po stea confiteri. Respon. quod & si baptis mus in casu non remittat peccata tempo re, quo suscipitur, remittet tamen ea po stea, iuxta communem sententiam, quādo fictio recesserit: nam superueniente contritione, gratiam baptismalem conse quitur, quam propter obicem malæ uoluntatis prius non fuerat consecutus, ita tex. in cap. tunc valere, de conf. dist. 4. Sotus di. 18. q. 1. art. 3. Medin. C. de con fess. q. 26. versi. Respondeo. † Infideles vero in duplice sunt differentia, nam aliqui dicunt Saraceni, qui nec uetus, nec nouum testamentum recipiunt, sed uarios Deos, idest dæmones adorant, & colunt, sacrificando accenso igne, uictimas interficiendo, & alia, quæ ponuntur per tex. in l. pen. C. de pagan. quæ omnia eis nobis degentibus interdicuntur. ut ibi. Et dicuntur Saraceni à Sara uxore Abraham, à qua ipsi uoluerūt nominari, priusquam ab Agar ancilla Abraham, de qua eorum fuit origo, ut not. 18. q. 1. cap. caue. Alii etiam dicuntur infideles, idest Iudæi, qui a paganis distinguuntur d. 50. cap. qui uero. Iti uetus testamen tum sequitur, & ad literam legem Moysayā obseruant, unde quia ueteri testamento inherēt, dicuntur iudaizare, quod Christiani facere non debent. c. 1. §. ungitur. de fac. unct. & tales Iudæi sunt magis odiosi, & peiores alii infidelibus re putantur, cap. nonne. 1. q. 1. Iti omnes ab ecclesia alieni sunt, & constitutionibus ecclesiasticis ideo nō arētātur, quia sunt extra ecclesiæ iurisdictionem, & nihil ad nos pertinet de iis, qui foris sunt iudicare, 1. q. 1. multi, cap. gaudemus, de 19 diuor. † Quod intellige uerum in sacra mentis, & in censuris ecclesiasticis, & in pœnis spiritualibus, quæ animam respi ciunt, ut depositio, & degradatio, iux. Abbatem in cap. quærenti, de uerb. sign. non autem in pœnis corporalibus, & pe cuniariis